



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXIV. Ingratitudo Judæorum pro beneficiis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

timeo, mi JESU! cum terret me pugna tentationum, & mortificatio corruptæ meæ naturæ, & horreo dimittere omnia, ut expedite serviam tibi? Quis est, qui possit ac velit omnia mihi convertere in bonum, nisi tu? Nihil molestiæ tibi contigit, è quo non aperueris mihi fontem misericordiæ: quid igitur timeam? Tu salvas aquas efficis dulces: tu ex omni petra educis aquam: tu mare tranquillas, & è morte producis vitam; quid igitur timeam? Ah bone JESU! dilata cor istud, ut cum spiritu, fide & amore me projiciam in hoc mare charitatis, quâ me diligis; & in hæc brachia amoris, quibus me gubernas; ut ibi in te quiescam, te in te amem, te in te possideam, & à te semper possidear.

XII. Mater purissima, Thesauraria gratiarum DEI! quæ solum de hoc Domino vivebas; & cum illo solo ad eam perfectionem & gloriam venisti, quâ nunc gaudes; trahere me post te: confirma me in fide & amore hujus Domini; quia solus ipse est adiutor meus & refugium meum.

O gloriosa Curia cælestis, capta amore hujus Domini, ac dives thesauris ipsius, nobis adhuc absconditis, vobis autem aperitis! stillate aliquam guttam dulcium illarum aquarum in hoc sitibundum & aridum cor meum, cujus percepto semel gustu semper aspiret ad illam supernam satietatem; donec mereatur liberari, & venire ad vestram societatem, ubi semper potero me saturare. Amen.

Æ R V M N A XXIV.

Ingratitudo Iudæorum pro beneficiis

Christi.

I.

TA connexa sunt inter se vitia, ut quodlibet videatur esse propago & parens omnium. Inde est, ut Sancti jam ab hoc, jam ab alio dicant omnia scaturire, ut à superbia, ab invidia, ab amore sui immodico, ab ingratitude; de qua S. Bernardus dicit; *Ingratitudo inimica Serm. 15, anima, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum in Cant. perditio, ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia*

Ingratitudo
fons malo-
rum omniū

fluente gratia. Denique quidquid mali provenire potest ab alio quocunque vitio, id etiam tribuitur isti. Sanè cum Judæi scaterent vitiis omnibus, ut per quodlibet eorum ipsi perire possent, & Christus affligi; ingratitude non minimum fuit, sed ab aliis omnibus incrementum accepit, & omnia reddidit graviora vicissim. Unde velut è generali scaturigine profluxerunt innumerabiles molestiæ, quibus vexabatur Christus tot annis, ut vel sola ingratitude invincibilem patientiam postularet.

II. Et quidem satis clarum est, quàm grave sit pro tantis ac divinis beneficiis recipere continua signa ingratitude extrema: dum oblatam gratiam ac beneficia quidam aspernati non dignabantur accipere; ut Sacerdotes ac Principes populi, qui, ne illi viderentur quidquam debere, ubique conabantur ejus existimationem imminuere; & quò plus illi debebant, eò majore persequebantur odio: alii, qui sequebantur eum, ut ejus beneficiis frui possent, si non diceret eis grata, deficiebant ab illo; ut hi, quos quinque panibus, ac paucis pisciculis miro modo saturaverat: cum enim propter hoc regiâ coronâ dignum judicarent, ac sperarent se sub ipso semper sine labore sustentandos; audita mentione Panis divini, quem daturus erat mundo, subito desciverunt ab eo: alii, cum sanitatem ab eo recuperâssent, ne gratias quidem egerunt, ut illi novem leprosi: alii aliis injuriis eum affecerunt, ut insidiando, obtrectando. Denique gens ista, cum beneficiis cumulata fuisset, eum cum plausu excepisset in die Palmarum, agnovisset eum divinitus ad se venisse, studuisset vel extremam oram vestium ejus attingere, certa sanitatis recuperandæ; ex omnibus locis certatim confluxissent ad eum; postea conjunxerunt se manifestis hostibus ejus; expetierunt eum ad crudelissimam necem, homicidæ posthabitu, & magnis cum clamoribus quasi per triumphum deduxerunt ad locum supplicii. Ipse verò (quod auget admirationem) cum non ignoraret, has sibi gratias redditum iri, pergebat nihilominus eos doctrina cælesti, & omni beneficiorum genere cumulare, ipsi ad eò proditori sceleratissimo singulares favores exhibendo, & Malcho restituendo auriculam.

IESVS
non cessavit
Judæis be-
neficere,
licet novis-
set, quid ab
eis esset re-
cepturus.

III. Leges humanæ statuunt, justam causam, filiis hereditatem, famulis mercedem negandi, esse ingratitude: & eandem

dem sufficere ad rescindendam veterem amicitiam; adeò, ut, qui in eam revertuntur, postmodum aliam ejus resumptæ causam non afferant, quàm quòd existiment esse virtutis, eam exercere impensius, ubi minor videtur esse ratio id agendi. Ipsum autem ingrati vitium excusationem nullam invenit, ac tantò majus evadit, quantò magis conatur excusando minuere: nec aliud ei superest, quàm ut fateatur, se excusationem facti sui non habere, vel ut habeatur pro manifestè ingrato: quorum utrumque, iudicio prudentium, ei valde grave esse debet, & pro pœna satis rigida. Solus amor divinus, qui in Christo Domino nostro fuit, ingratitude magis accensus est, velut oleo igni affuso: tantùm abest, ut eà sit extinctus, & versus in odium, ut apud homines evenit, quorum amicitiam ingratitude extinguit, & in odium vertit. Et sicuti per molestiam summæ ingritudinis aperuit Judæis immensos divitiarum thesauros; ita eos, qui postea agnoverunt errorem, amore integerrimo recepit in gratiam, ac si nunquam ingrati fuissent.

*Amor IESU
accensu-
batur in-
gratitudo-
ne.*

IV. In numero illorum ingratorum, & obligatorum huic divino Agnello, pro tam invicta patientia, sumus & nos, Adæ progenies; præsertim qui nati in Ecclesia, fovemur brachiis Fidei & Charitatis illius, & oculis usurpamus ea, quibus per merita suæ Passionis aperiuntur nobis bona æterna, & auribus audimus veritates divinas, quas docuit nos de via ad regnum cælestè. At nos hæc omnia rejicimus, falsam imaginem ac delectationem rerum terrenarum sectantes tam avidè, ut non possemus magis, si vera essent & æterna, omnium, quæ illi debemus, oblitì. Quin ita apparemus coram ejus Majestate divina; ita cum illo agimus in oratione; ita versamur in ejus domo, ac si nescio quantum de ipso essemus meriti: ita ingredimur templum, & versamur coram oculis ejus, ac si nihil in nobis mali videret: ut adeò non minorem nobiscum patientiam exercere debeat, quàm cum ingratis- simis Judæis, à quibus est crucifixus. Dicunt Theologi, quodvis peccatum, quod iteratur, per ingritudinem fieri gravius: quantò graviora igitur erunt illa, quæ sæpius condonata repetimus? Jam si addantur abusus bonorum temporalium, nobis ad salutis

*Horrenda
ingratitude
nostra.*

salutis æternæ procuracionem datorum, quibus meremur damnationem æternam: vilipensio bonorum spiritualium, & facilitas amittendi gratiam acceptam, & negligentia in recuperanda eadem: inurbanitas, quâ negligimus Deum, ejus inspirationes & gratias, quas offert nobis, vice abjectissimarum, spurcissimarum & vilissimarum rerum hujus mundi; ac denique quod plus possint apud nos homines, cupiditates & oblectationes vilissimæ, & quidquid infra Deum est, usque ad ea, quæ sine pudore memorari non possunt; quàm infinita Majestas, Magnitudo, Veritas, Æternitas, Potentia, Gloria DEI nostri, de cujus bonitate semper & ubique vivimus, & cujus justitiam evitare non possumus ullo modo: exundabit ingratitude nostra in mare quoddam malorum ac perditionis nostræ, & intolerabilis fiet summa divinarum offensionum: cui nullum restabit auxilium, nisi eadem charitas infinita, quâ, cum prævideret omnem nostram ingratitude, dignatus est crucifigi pro nobis ingratis, & quâ etiamnum obliviscitur omnis ingratitude nostræ, si reverti studeamus ad ipsum. Sed meminerimus hæc duo flumina, continuæ nostræ ingratitude, & jugis patientiæ DEI, nos tam amanter sustentis, non ita juxta se fluere, ut patientia non tandem verti possit in justam indignationem, & avertatur planè à nobis, qui sine ipsa pridem æterna damnatione fuisset absorpti.

*Benefacien-
dum ingra-
tis.*

V. Misericordia, quâ Deus utitur nobiscum hac in parte, meretur, ut imitemur ipsum, benefaciendo his, qui nobis ingrati sunt; & ut plus apud eos possit obligatio, quâ Deo sumus obstricti ad benefaciendum amore ipsius, licet non merentibus; quàm rationes humanæ quæcunque ab hoc avocare nos possent. Ideo Dominus jubet inimicos diligere. *Et si, inquit, diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Veruntamen diligite inimicos vestros: benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filii altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.* Et verò etiam Seneca agnovit, eum, qui beneficium negat ingrato, plus perdere, quàm ingratum, videlicet,

Luc. 6. 32.

deficit, meritum, quod longè majus est, quàm bonum, quod alteri negat. Et benefaciendo quidem alterum malum non facit; sed forsitan efficit bonum: negando verò ipse minùs fit bonus, & propter alterius ingratitude manet imperfectus; cùm verà virtus propter vitium alienum non debeat negligere suum officium. Quì autem cogitat, quanta bona quotidie accipiamus à Deo, quantumvis ingrati, aliis argumentis ad illum imitandum non eget. Porro nihil est melius, quàm ut is, qui aliis benefacere cupit, solius DEI amore id faciat, nullas gratias exspectando ab hominibus: cùm passim omnes & magnitudinis, & multitudinis beneficiorum obliviscantur: quo fit, ut ferè quis tantum perdat de bono opere, quantum gratiarum speravit ab hominibus. Ideo Sapientia 16. dicitur; *Ingrati enim spes tanquam hibernalis glacies, tabescet, & disperiet, tanquam aqua supervacua*; quia scilicet non recordatur benefactoris, nisi quando est in necessitate; & sibi ipsi tribuit bona, quæ accepit ab alio. Unde dicitur Eccli. 29. *Bona repromissoris sibi adscribit peccator, & ingratus sensus derelinquet liberantem se.* Imò, quod pejus est, elevat beneficia; exaggerat verò, si quas accepit, injurias. Hinc Seneca dicit: *Torquet se, & macerat: odit, quæ accepit, quia redditurus est, & extenuat; injurias verò dilatat & auget.* Ceterum ingratus malè sibi ipsi facit, benefactorem autem reddit magis perfectum. *Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit, ait Seneca. Illud venenum, quod serpentes in aliorum perniciem proferunt, sine sensu continent: non est huic simile: hoc habentibus pessimum est.* Cùm igitur & exemplo DEI, & ipsà ratione humanà ducamur ad benefaciendum ingratis, aliud nihil apponam, quàm vix aliquid esse, quod ita mereatur sanctam quandam invidiam in hac vita, propter ingentia bona interna, quibus à DEO cumulantur, qui accipiunt mala pro bonis, & non desinunt benefacere ingratis. **Experiaris, & mihi consenties.**



EXERCITIUM
De Tolerantia ingratitude Judaicæ.

I.

*Cor Domini
IESU.*

I Tanc, bone JESU! nullum est genus afflictionis, quod subire non velis? super omnes ærumnas propter nos exantlatas, etiam sufferre dignatus es, ut omnes tibi essent ingrati, & beneficiis inimici tui uterentur pro instrumento ingratitude? benedictus sit amor, qui te fecit hæc pati! O purissime & suavissime JESU! sine me inspicere penetralia tui cordis. Ex una parte non est ullus, qui ingratitude pro suis beneficiis possit sentire magis, quam tu; vel imaginari sibi, quantum ea molestiæ tibi attulerit: ex altera, cum videatur ingratitude siccari debuisse omnis affluxus beneficiorum in posterum; in pectore tuo scaturiunt majore copiâ & impetu erga illos ipsos, qui ea recusant; & cum videntur obstruere venas illorum, erumpunt undique fontes uberiores bonorum. Adoro te, cor divinum! quis meretur amari, nisi tu, abundans in amando, abundans in benefaciendo, abundans in sufferenda omni ingratitude? Nemo potest vincere magnitudinem, & bonitatem cordis istius. Vides ob oculos tuos extremam ingratitude, quâ conantur annihilare tua bona divina, & elevare beneficia omnia, pro quibus tibi rependunt injurias, despectus, tormenta, & mortem. Insurgunt contra te membra, quæ sanasti; corda, quæ docuisti: nec tamen siccatus est fons bonitatis, quæ profluit ex hoc divino pectore, neque exinguitur fornax amoris, quo flagras; neque ipsis ingratis spem adimis majorum, ad quæ illos invitas, beneficiorum. O fons omnis boni! quid possunt hi desiderare amplius, cum te habeant? aut quid causæ est, ut tibi ingrati non sint? Cum non haberent, quod manducarent, tu eos saturabas: cum quid eis deerat, tu non exspectabas, donec à te peterent, sed ultro succurrebas. In te medicum habebant & apothecam divinorum medicamentorum pro corpore & anima: tu sedabas illis tempestatem maris: tu dæmones ejiciebas: coram te saltabant claudi & paralytici, & multos tactu sanabas: tu tradebas eis sinceram doctrinam legis divinæ: tu reos illorum liberabas à

pœna:

pœna: tu peccata condonabas: quid ergo poterat illis unquam deesse?

II. Regina Austri multò majore ratione ad te, quàm ad Salomonem diceret: *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam: eò, quòd dilexit Dominus Israël, constituit te regem, ut faceres iudicium & justitiam.* 3. Reg. 10. 5. Viderat hæc regina solùm externa quædam bona, quæ mirabatur: in te, bone Jesu! vidisset potentiam divinam, sapientiam divinam, amorem divinum, & omnia bona divina. Et si gens illa fuit amata, quòd Salomonem regem haberet; quid ergo cogitandum, quòd habeat te? Et nihilominus, ne unam quidem gratiam agnoscunt ista corda ingrata, sed malunt potius vilia & terrena, quàm te: nec cessabit eorum ingratitude, quoad à suis oculis te removeant, & interimant. Etiamnum plenæ sunt eorum plateæ, domus & regiones beneficiis tuis, & nihilominus te repudiant. Ah mi bone Jesu! cur non adimis eis vitam, sanitatem, & omnia bona, quæ largitus es, cum nullam tibi gratiarum referant actionem, ac dona tua contemnant! Adoro cor hoc tam suave, pro his, qui te repudiant, & pro afflictione, quam sentis ex eo. Aperi, Domine, in meo spiritu fontem amoris, & ostende mihi radios tuæ lucis; ut possim agnoscere hoc malum ingratitude, & hoc bonum pectoris tui divini. Fac, Domine, amem, quod video in te, & horream hoc, quod repudiat te. Quid est enim, cur te dimittam? O quàm verum est hoc, quod tu dixisti, Domine, eos, qui non volunt recipere te, qui de cælo in nomine Patris tui venisti, plenus cælestibus bonis, recepturos obviis ulnis quemlibet alium, qui in suo nomine venit ad deceptionem eorum, & interitum: æstimant se pluris, quàm te; pluris mundum, quàm bona tua; pluris desideria sua, quàm tua dona: & vitam cum morte æterna mutabunt. Tu sentis mala eorum, & condoles; ipsi verò acquiescunt in illis. Atque ita, si comparentur inter se cogitationes ac sensus, illi non habent id, propter quod pereunt; & tu propter ipsos affligeris. Benedictus sit semper, & laudatus hic amor tuus infinitus & æternus.

III. Sed eheu mi Domine! pie & magne Tolerator cordium ingratorum! habeo semper, quod apud te plangam, & no-

*Depl. ratio
nostra in
gratitudi-
nis.*

*Commen-
datio boni-
tatis divi-
na.*

vorum & veterum malorum : antiquarum & renovatarum plagarum, quas tu solus potes sanare. Ego Domine, quamvis te non viderim in carne, credo tamen in spiritu, quòd omnibus, quæ fecisti in terra, infinitorum pro me thesaurorum abyssos condideris. Nam æquè pro me solo natus es, ac pro aliis omnibus : & sicut tu finem non habes, ita nec opera, merita & virtus tua unquam poterunt exhauriri vel absumi : omnia reservantur integra pro me : ex his gratiis vivo, his sustentor, gubernor, sum & spero credòque id, quod nondum video. Licet autem tu sis talis cum his, quæ habes pro me ; ego tamen omnium hominum sum ingrattissimus, & inobservantissimus beneficiorum tuorum. Quomodo, mi Deus, assisto coram te ? quomodo audeo aperire oculos ad videndum te ? Ah Domine, quid mereor, si miserationes tuæ insurgant contra me, omnia beneficia tua condemnent me, universa bonitas tua me confundat, & quæ pro remedio mihi præparasti, me fugent & abigant à te ? quid obsequii tibi præstiterunt hi oculi, hæc lingua, hæc aures, hæc membra totius corporis mei, hæc facultates animæ, hic intellectus, hæc memoria, hæc voluntas, hæc anima, & hic miserabilis peccator ? vel hæc injuriæ, quas admisi contra te ? quas tibi laudes & gratias reddidi pro cælo, pro terra, pro elementis, pro vita & bonis temporalibus, quæ mihi largitus es ? Imò quando non malè sum usus omnibus, cum summa ingratitude, & offensa tua ? Jam si intravero paternum torrentem bonorum spiritualium, quæ mihi dedisti & promisisti, & ego perdidici, neglexi, quid me fiet, cum judicaveris ? O me miserum atque perversum ! quid mecum jam foret, nisi me respexisses eadem misericordiâ, quâ pro ingratis es mortuus ? Quando mi Deus, me visitasti suavi tuâ præsentia ; cum anima mea caperetur tua pulchritudine ; cum gravis illi esset res omnis, quæ avocabat à te ; cum nihil aliud sentiret magis, quàm necessitatem curandi corpus ac negotia terrena ; quid tunc videbam in te, Domine, cur tam citò te relinquerem, obliviscerer tui, oblitus distraherer in alios amores, ita distractus repellerem veritates mihi perspectas ? Tu quidem nihil amittebas de tuo, sed nec illa, quæ extra te sectabar, desinebant esse vilia & mutabilia, Quam ergo
tum

tum causam habui, te commutandi cum rebus, in quibus id non inveni, quod mihi tu communicas, cum adjungo me tibi? Quando verò pœnitens errorum ad te reversus fui, tu statim me recepisti, statim es consolatus, & veniã donãsti. Scivi, extra te nihil esse mihi opis aut remedii; & solùm adhærendo tibi posse salvari: quid igitur inveni in aliis rebus, quæ me separabant à te, ut reverterer ad eas te offendendo? O quàm me miserabilem reperio coram te, Deus meus!

NB. *Hic in particulari recense beneficia DEI singularia, & peccata, quæ tibi condonavit; tentationes & pericula, è quibus te eripuit: & quo modo semper sis reversus ad vomitum. Et istud quidem cum magna humilitate, dolore & cognitione tui ipsius. Tum perge cum Davide Psal. 50. dicendo:*

IV. *Tibi soli peccavi, quia te solum amare debui. &c. ut vincas misericordiã tuã, cum judicaris de tolerata nostra ingratitude. Ecce enim in iniquitatibus conceptus, & ideo ad eas propensus sum: quod te commovit hæctenus ad misericordiam. Ecce enim veritatem dilexisti; cum nos mentiamur tibi bonis propositis, quæ toties violamus. Sed tu mihi manifestãsti incerta & occulta sapientiæ tuæ, quã invenisti modum tui humiliatione me sublevandi, tuis meritis me ditandi, & tua passione meas ingraticudines compensandi. Unde confido, quòd asperges me hyssopo sanguinis tui, & super nivem dealbabis. Auditui meo, &c. usque ad Docebo iniquos, &c.*

V. *Divitissima Regina cæli, Gloria pulcherrima paradisi, Puritas humanæ naturæ, Decus nostræ humilitatis! sicut in te gratia nunquam fuit otiosa, & per hoc sunt incomparabiles divitiæ cælestium tuorum bonorum; ita te Deus constituit perfectum remedium, & auxilium miseriarum nostrarum. Adjuva me, Domina, adjuva hunc ingratum, & meritum excludi ab omni bono. Admittar iterum per te in domum & amorem Domini, qui tam perfectam te fecit: & confirmer in illa, ut non ampliùs possim ejus oblivisci. O Cives cæli, securi divitiarum vestrarum, habete compassionem cum inconstantia & periculis nostris, qui adhuc peregrinamur in hac valle miseriarum. Impetrate mihi jugem*

jugem memoriam, & desiderium eorum bonorum; ut nauseem ista terrena, nec amplius muter, solum ad consortium vestrum anhelans. Amen.

ÆRUMNA XXV.

De Ferventi desiderio Passionis, quod Dominus noster JESUS Christus habebat, ac simul de humano Timore ejusdem.

I.

*Amor Christi
sibi summa
tortura
ejus,*



Antus fuit zelus amoris, qui in pectore Domini flagrabat pro gloria Patris æterni, quam suâ morte toto mundo diffusurus; proque doctrina & veritate cælesti à se tradita, quam passione sua confirmaturus; ac denique pro Redemptione ac salute animarum, quam sanguine suo ad finem perducturus erat; ut, quamdiu vixit in hoc mundo, non habuerit sæviorem tortorem sui dulcissimi spiritus, quam hunc suum Amorem, non ferentem differri, quod desiderabat tantopere; facientemque, ut præsentiret ea, quæ sibi perpetienda sciebat: ut ita cruciatus, quo res tantas confici oportebat, diuturnior & plenior esset maximorum meritorum, quibus redimendi fuimus; & nos intelligeremus, non à casu sed ex antiquo amore, multaque deliberatione mortem ejus & passionem tam acerbam provenisse, quam tantopere desideraverat, ac differri tam graviter tulerat. Neque ideo levior Passio fuit, quod non ultra 20. circiter horas duraverit; quia non tunc solum eam sensit, sed toto tempore vitæ suæ; dum eam, stimulante amore, & ad vivum repræsentante, naturæ humanæ sensu pertimuit.

*Continuata
per totam
vitam.*

II. Ac de ista quidem re partim actum jam est, in principio Incarnationis Domini, partim agetur infra de Agonia in horto: nam in utero matris scaturiebant fontes dolorum. In horto plenâ cataractâ ruit impetus mortis istius amaræ; & utraque merito seorsim consideratur, ob nonnulla peculiariora, quæ ibi cernuntur: sed & continuatio fluminis istius per 33. annos, in amplissimo sinu cordis divini, sitientissimi dolorum, simul & sentientissimi,